
# APES DIANIAE
IN
MONIMENTIS VETERVM
NOVITER OBSERVATAE:

## Elegiacum Poema:

SANCTISSIMO PRINCIPI

# VRBANO VIII.
## PONT. OPT. MAX.
SACRVM:

*Auctore Iuſto Riquio Lynceo C. R.*



IN VRBE VRBIVM

E Typographeio Iacobi Maſcardi, Anno ſolemni CIↃ.IↃC.XXV.

CVM CENSORIA FACVLTATE.

34.6.F.14.21
Digitized by Google

*Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Palatij Apoſt.*

A. Epiſc. Hierac. Viceſg.

*Imprimatur.*

Fr. Antoninus Phœbæus Magiſter, & Socius Reuerendiſſimi Patris Fr. Nicolai Rodulfij Ordin. Prædic. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri.

Digitized by Google

152

# VRBANO VIII.
## PONTIFICI,
## PRINCIPI OPTIMO MAXIMO.

*MELLILEGAS celebrare Tuas dum maximus Orbis*
*Cernitur, & ſacræ quiſque fauet volucri,*
*Pectora quot ſacris adiungunt fida Latinis,*
*VRBANVMQVE colunt pignora ſancta Patrem;*
*Ipſe etiam imparibus cecini noua carmina Muſis,*
*Donaque regnanti non aliena tuli;*
*Gaudentem caſta quondam Tutrice* MELISSAM:
*Nec caret indicio res memoranda ſuo:*
*Incorrupta Tuos ſeruabunt ſæcula mores,*
*Virgineo caſtus Præſide Mundus erit.*

Dedicabat SANCTITATI Eius

*I. Riquius Lynceus Belga. C. R.*



Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO PRINCIPI

# VRBANO VIII.

## PONT. OPT. MAX.

DE

# APIBVS DIANIIS.

*In veterum Monimentis nouiter obſeruatis.*

## ELEGIA.

MVSÆ Heliconiades, ſacri quæ vertice Hymetti
Cecropias liquido rore fouetis APES;
Si quondam, vt fama eſt, patrijs potuiſtis in antris.
a Gnoſſia adhuc tenero fundere mella Ioui:
b Totaque Ariſtonis fauiſſe examina nato,
Dum pater, & puras fundit alumna preces:
Huc agite, è toto Lauros accerſite Pindo,
Viuaceſque ederas, Pegaſeaſque lyras,
VRBANO dum ſacra fero; quem plurima circum
Aurato volitat ſtemmate diues APIS,
Cælicaque auguſtis applaudit regna ſuſurris,
Quæ priùs indicio ſanxerat ipſa ſuo.
c Non ea frugiferæ Cereris donaria iuxta,
Nec veſtris tantùm viſitur illa focis;



Digitized by Google

Illa etiam intactæ muros ac templa DIANÆ
Ambit, & in Triuiæ ſe probat eſſe fide.
Nec fallor : veteris teſtantur [d] ſymbola Gemmæ,
Teſtantur priſcis Myſtica ſigna notis:
[e] Nempe Palæſtinæ Ceruus ſub tegmine Palmæ,
Cui ſocium præbet dia MELISSA latus.
Cynthia frondiferos canibus circumdare ſaltus
Gaudet, & hunc grauidis impediiſſe plagis:
[f] Cornuaque Ionio ſublimia figere poſte:
Hinc ſe cornigeræ iactat honore feræ.
Plus tamen eſt APIBVS tribuit quod Virgo pudicis,
Gratior & Caſtæ caſta volucris adeſt.
Parthenij volucris ſemper-ſtudioſa laboris,
Aſſiduaque legens ſedulitate fauos:
[g] Ex ſeſe genita, & nullo fœdata cubili,
Inter Virgineos ſemper amata choros.
Quo Vos ore canam ſuperis gratiſſima turba?
Deficit in laudes garrula fama tuas:
Et tibi, ceu laſſæ, iam conceſſere Camœnæ:
Maxima ſed laus eſt non potuiſſe cani.
Vos antiquorum compleſtis ſcripta Virorum,
Nec tamen eſt ſcriptas qui putet eſſe ſatis.
Veſtra nec Argolici ſapientes omnia norant,
Inclyta nec Pharia nouerat arce ſchola.
[h] Ipſe decus Vatum, cana quem Mincius vnda
Extulit, argutum dum fide tentat opus,
Sæpe ait, Aonia res excellentior arte,
Ingenioque meo grandior, eſtis APES.
Et quiſquam eſt tanto qui ſe ſuccedere Vati,
Phœbæo falſus numine, poſſe putet?

Decidit

Decidit Icarei nouus ales in æquora Ponti
Quando inconceſſum non bene tentat iter.
Primaque tergeminæ flerunt electra ſorores
Ob Phaëtontææ ſtulta pericla viæ.
i Audeat hoc forſan Dircæi gloria Cycni,
Quem tinxere ſuis mellea turba fauis:
k Siue Syracoſij dulcis paſtoris auena,
Dum canit Hyblæo carmina rara iugo.
Ipſe ego Vos mutas intentataſque relinquam,
Nè ferar ingenio perditus eſſe meo:
Littus vt exiguæ tutum legere carinæ,
Vndoſo trepidæ credere vela mari.
Has potiùs paruis memorabo verſibus Vrbeis,
MELLILEGAM Nummis quæ poſuere ſuis:
Prima pharetratæ dicturus Templa DIANÆ,
l Littoreo Cares quæ poſuere loco:
Molem Aſiæ immenſam, populorũ immane tributum,
Arduaque inſanis culmina ſtructa modis.
Hac olim, vt perhibent, Latoïs ſede repoſta
Arcana populos relligione tenet.
Priſca ſuperſtitio NATVRAE credidit almæ
Hic adyta, & Triuiæ Virginis eſſe domum,
m Apparent toto diffuſæ corpore mammæ,
Nec tamen eſt vllo fœdera paſſa thoro.
His alitur mortale genus, vitæque animantùm,
Vitales ſuccos hinc elementa bibunt.
Hæc ſibi, cunctarum ſupra miracula rerum,
Virginea tutam præſide legit APIM.
Hoc EPHESVS docti ſignauit imagine Nummi,
Hoc, ex n æquorea Virgine nomen habens,

PAR-

PARTHENOPE, Latio fortunatiſſima Cælo,
Regia Campani deliciumque ſoli.
o Parua etiam MEGARIS, ſacri ditiſſima mellis,
p Dum ſtetit antiquæ gloria Trinacriæ,
q Chalcidos Euboæ profugo fundata Theocli,
Quà laxant bifidos æquora tuta ſinus;
Hyblæam volucrem victuro finxit in ære,
Plurima quam circum Delphica laurus eat.
Inter Apollineas meritò conſidere frondeis
Cerneris Aonio grata MELISSA choro:
r HIC DOMVS, hæc requies feſſæ, durique laboris
Temperies; illa ludere ſede ſoles;
Mellaque Daphnæo ſtillantia ſugere flore,
Vt viuum æterno nectare ſurgat opus.
DAPHNE etiam Virgo eſt, Phœbo gratiſſima DAPHNE,
Vna triumphali ſemper honore virens,
s Lecta Palatinos ramis obnubere poſteis,
Dignaque Hyantææ præmia ferre Lyræ.
Et Tua Apollineis quondam proluſit in vmbris
t VRBANE, & Clario è nectare ſuxit APIS;
Siue ea per valleis ſudaret docta Latinas,
Siue Mycenææ rura beata plagæ:
Vt neque Sicaniæ poſſint certare ſorores,
Nec quæ Theſæos depopulantur agros.
u Hinc olim data ſerta illi Parnaſſide lauru;
Aurea ſed meritæ maxima ROMA dedit.

P. L. M.

*Iuſtus Riquius Lynceus Belga*,
*Anno ſolemni* ꝏ. IↃC. XXV. *Menſe Nouemb.*

Digitized by Google

# APIS GEMMEA

## In Muſæo

## FRANCISCI GVALDI ARIMIN. EQ.

## E Familia VRBANI VIII. Pont. Max.

## *EPIGRAMMA.*

*QVALIS floriferæ pictis in collibus Hyblæ,*
*Aut in Cecropia valle ſuſurrat APIS,*
*Serpillum, cytiſoſque legens, aut mollis anethi*
*Gramina, vt hinc cellis nobile condat opus:*
*Talem Onyche in fulua ſpirantem cerne; vetuſta*
*Quam dedit effectam callidus arte labor:*
*Vt dubites, falſa num te ſub imagine ludat*
*Effigies veris diſſimulata notis.*
*Hactenus è ſolo radiantem vidimus Auro,*
*Gemmea nunc illi quàm bene iuncta ſoror!*

*II.*

*MELLIGENAM puris Auri radiare metallis*
*BARBERINORVM nobile ſtemma facit:*
*Pulchris expreſſam Gemmis veneranda Vetuſtas*
*Fulgere, arcanis docta magiſterijs:*
*Scilicet VRBANVS Regnantum fulgida Gemma eſt,*
*Aureaque expulſo ſæcula Marte dabit.*

*III.*

*Quo ſacros Diuum vultus effinxerat Auro*
*Aeneadum Auguſtis ROMA ſub Imperijs;*
*Dilectas hodie Mellis formare Parentes*
*VRBANI gaudet ROMA ſub Imperio.*
*Nec ſatis hoc: gremio profundit diuite Gemmas,*
*In quibus Hyblæas ars imitetur APES.*
*Sic, VRBANE, tamen Gemmas dum fundit & Aurum,*
*Omnia dat meritis inferiora Tuis.*

*I. R. L.*

# NOTAE IN ELEGIAM.

A G*NOSSIA adhuc tenero* ] Fingitur *Iuppiter* melle à Meliſſa Nympha, Meliſſæi Cretenſium Regis filia, in antro enutritus: quam fabulam latiùs deducunt Anton. Liberalis in *Metam.* Seruius in 3. *Æneid.* Lactantius, è Didymo Grammatico, lib. 1. cap. 22. & alij.

B *Totaque Ariſtonis* ] De examine Apum, quod *Platonis* pueri Ariſtonis F. ori inſedit, vulgò notum.

C *Non ea frugifera* ] APES olim in tutela fuiſſe *Muſarum* ac *Cereris* eruditè firmant Vlyſſes Aldrouandus lib. 1. *de Inſectis.* & Gyraldus Syntagm. *De Muſis* quorum ſcrinia non compilo.

D *Symbola Gemmæ* ] Quæ inter κειμήλια Excellentiſsimi D. ANTONII BARBERINI, VRBANI OCTAVI PONT. è fratre N. conſpicitur, vbi DIANA ternas inter APES poſita. Accedunt vetera Numiſmata non pauca, è quibus tria nobiliora argumento noſtro delegimus. Ediderant quidem EPHESIORVM antea Vlyſſes Aldrouandus, & NEAPOLITANORVM, Hubertus Goltzius; ſed perperam adeò vel depicta, vel explicata, vt pro ineditis haberi poſsint. MEGARENSIVM HYBLAEORVM nos nouiter produximus. Cæterùm de APIBVS in fide DIANAE poſitis, nemo hactenus Antiquariorum (quod ſciam) quicquam obſeruauit.

E *Ceruus ſub tegmine* ] *Ceruos* olim & *Canes* fuiſſe in tutela DIANAE nemo paullò humanior ignorat. Sic verò per *Ceruum* συμβολικῶς DIANAM exprimebant, quemadmodum per Aquilam IOVEM, per Pauum IVNONEM, per Noctuam MINERVAM. Quod, præter Marmorum emblemata, & Nummos à nobis productos; duo etiam ærea Numiſmata affirmant, mihi, dum hæc ſcriberem, ab Excellentiſs. FEDERICO PRINCIPE CAESIO, Lynceorum Pręſide, oſtenſa; in quorum altero Ceruus inter virgulta paſcens, cum Api Diania; in alio Ceruus iterum cum Dianæ mitratæ effigie excuſus ſpectabatur: quæ Aſiaticorum populorum eſſe, ex ſignis quibuſdam, conijcimus.

F *Cornuaque Ionio* ] De hoc ritu videndi Plutarch. in Quæſtion. Romaic. vbi de Templo *Dianæ Auentinæ*, & Seb. Erizzus ad *Numiſma* ALEXANDRI SEVERI. Exuuias etiam pellium horum anima-

animalium Venatrici Deæ offerebant. apparet ex Inſcriptione V. Mæuanienſi, quam in *Primitijs Epiſtolic*.pag.71.olim euulgaui.

G *Ex ſeſe genita* ] Quomodò Apes generentur *magna inter eruditos*, vt Plinius, ait, *& ſubtilis eſt quæſtio*. Illud certò conſtat, ſine coitu fœtum producere, & vtrolibet ſexu carere. Virgines itaque cùm ſint, optimè DIANAE Virgini conſecrabantur. Accedebat ſedulitas in perluſtrandis floribus, ac colligendo melle; quâ Venatricis in captandis feris induſtriam, ac laborem οὐκ ἀπρίκτως effingebant.

H *Nec Pharia* ] Aegyptios fuiſſe creditos Veteris Philoſophiæ parentes teſtantur Diodor.lib.1. *Bibliotb*.Iuſtin.Martyr.in *Paran*. Plato in *Timæo*. Macrob.lib.1. *Sat*. c.15. *& in ſomn. Scip*. c. 19. qui proinde hanc ab Hebræis & Chaldæis acceperant, Philo in *Vita Moſis*. Clemens lib. 1. *Strom*. Iuſtin. loco citato, & alij quammulti.

I *Dircæi gloria Cycni* ] Ita *Pindarum* vocat Horatius. Porrò illi dormienti Apes mel inſtillaſſe vulgò quoque notum.

K *Siue Syracoſij* ] *Theocritum* intelligo, Poëtam Siculum, qui Dorica phraſi dulciſſima εἰδύλλια conſcripſit. Fuit patria Syracuſanus quæ Hyblæ melliferæ vicina.

L *Littoreo Cares* ] EPHESVS Vrbs Ioniæ, ſiue Lydiæ, vt Herodoto placet, ad Mare fuit, portu ac nauali inſignis: celeberrima Dianæ Templo, quod CXX. annis, totius Aſiæ impenſa, factum: alluebatur hoc etiam mari, quod Plinij ætate ( vt ipſe teſtatur lib. 2.) iam inde receſſerat. Ab initio eam Cares tenuerunt. Vide Ptolem. *Tab*.1.*Aſiæ*. Strabon. lib. 14. *Geograph*. Plin. lib.36. c.14. Solin.*Pol*. c.41. Valer. lib.8. c.14. Stephanum *de Vrbibus*, & alios. Ad eam ſpectare argenteum Numiſma cum Ceruo, Dianæ ſymbolo, & notis E. Φ. quas EΦEΣIΩN interpretor; extra controuerſiam eſſe puto.

M *Apparent toto* ] Tale DIANAE EPHESIAE, quæ & NATVRA, ſimulacrum videre eſt in Nummo ALEXANDRI SEVERI IMP. cuius ἔκτυπον euulgatum: item in nonnullis Romæ antiquis ſtatuis.

N *Ex æquorea* ] à Sirene Virgine dictam PARTHENOPEN, quæ deinde NEAPOLIS, communis Eruditorum opinio eſt. De eius ſepulchro Strabo lib.5. & Virgil. Interpp.ad fin.*Georgicor*. Ad hanc Vrbem ſpectat Numiſma alterum, vt ex Inſcriptione liquet, NEOΠOΛITHΣ; in cuius auerſo latere APTEMIΣ, ſiue Diana, cum Apiculæ effigie.

O *Parua etiam MEGARIS* ] Tertium Numiſma MEGARENSIVM HYBLAEORVM in Sicilia; ſic enim dicti ad diſtinctionem

Græcorum; quod ab vno latere ME, id eſt, ΜΕΓΑΡΕΩΝ ἐπιγραφὴν excuſam habet, cum Ceruo Dianio & Palma; ab altero verò Apem cum ſerto laureo. *Paruam* voco, quia hæc Vrbs *Hybla parua* etiam dicta, ſita ad Alabum flumen, in amœniſsimo ſinu, mellificio celebratiſsima. Ptolem. *Tab. Europ.* 8. Strabo lib. *6*. Seruius ad I. *Virgil. Eclogam.* Stephani abbreuiator.

P *Dum ſtetit antiqua* ] Hodie præter ruinas Megaridos, ſiue Megaræ, in Sicilia nihil reſtat. Vide Cluuer. *in deſcript. eius Inſulæ* l. 1. c. 11.

Q *Profugo fundata Theocli* ] De hoc Megarenſium conditore vide, ſi libet, *Thucydidem* lib. *6*. & Strab. lib. *6*. item Marciani Heracleenſis *Coſmographiam*: qui paullò tamen ab inuicem diuerſi.

R *HIC DOMVS* ] Sanctiſsimi Principis N. ſymbolum eſt APVM examen in Phæbæa arbore, cum ſcito, HIC. DOMVS.

S *Lecta Palatinos* ] Lauri ante fores Auguſtales, in Palatio, Romæ poſitæ meminit. Ouid. 1. Transformat:

*Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima cuſtos*
*Ante fores ſtabis, mediamque tuebere quercum.*

Et iterum in 4. Faſtor.

*State Palatinæ Laurus, prætextaque quercus.*

Quem honorem AVGVSTO, tanquam Pontifici Max. tributum conijcimus è verbis Plinianis lib. 15. *Laurus*, inquit, *Triumphis propriè dicatur*: *gratiſsima domibus ianitrix CAESARVM PONTIFICVMQVE.* Quemadmodum Quercus illic poſita ceu Patriæ Parenti, OB. CIVEIS (vt Nummi eiuſdem loquuntur) SERVATOS. De Laureis Poëtarum coronis in Pythiade, & alibi, ad quas reſpexi ſequenti verſiculo; vel pueri ſciunt.

T *Siue ea per valleis* ] Nota ſunt Vniuerſo Orbi eiuſdem Principis ſtudia, & eruditæ, in Græca & Latina Pallade, lucubrationes.

V *Aurea ſed merita* ] cum voto: DE NOSTRIS ANNIS ILLI DEVS AVGEAT ANNOS.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google